



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XIII. Hortatur ad patientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

contemptores, inimicorum que crudelium victores ex dulcissimo victoriae genere surgentes, coronabo.

CAP. XIII.

*Hortatur ad patientiam.*

**A**PERITE aures cordis, filij mei, dum fluit, quasi ros eloquium meum: & quæ moneo, benè percipite. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, qui que terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper. Os enim meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Rarissimè apparet inter Adæ filios, qui in tribulatione sit patiens: & tamen multi, patientiæ occasiones studiosissimè fugientes, serui mei cupiunt apparere. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis ignominiosè recedunt. Et quidem tolerabilius esset hoc infidelitatis genus, si me non cognouissent; & quæ ego innocens pro illis peccatoribus pertuli, non credidissent. Nunc verò, cum hæc omnia cognouerint serui mei, quid dicam, dum video illos fieri, sicut filij Ephrem, intendentes, & mittentes,

tentes arcum, & conuerti ad fugam in die belli? Dicunt se filios Patris mei esse, & promittunt se scientiam Dei habere, & mecum mori desiderare: & statim, ac tentationem aliquam, infirmitatem, ariditatem, vel aduersitatem aliam eis immitto, vt probem, an ambulent coram me in veritate, & vt tanquam aurum in fornace illos examinem; tristitia magna absorbentur, & murmurant contra me. Quid est hoc? Vsq̄uequò non credet mihi populus meus, quem per desertum, quod non seminatur, in terram spatiosam, & suauissimo fructu fecundam deducere decreui? Ne credatis filij, carni, & sanguini, nec prudentiæ humanæ fidatis. Sit vobis, velut thesaurus pretiosissimus, quælibet occasio patiendi aliquid propter me: & hæc sit vobis summa consolatio, in hac mortali vita laboribus, exerceri. Hoc est signum electorum meorum, quos exerceo, & tento, quemadmodum tentavi Abrahã fidelissimum amicum meum. Hæc est nota veræ charitatis, quæ omnia suffert, & tribulatione; tanquam ignis

D 5 oleo.

oleo, nutritur. Hæc est via tutissima, qua itur in Cælum, quæ mihi conformes efficit, quos prædestinavit in adoptionem filiorum clementissimus Pater meus. Hac via tetenderunt sancti mei, qui per labores, & pericula, regnum cælorum violenti rapuerunt. Estote ergo vos, filij mei, fortes in bello, & orate cum illo, qui dicebat: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Et post agones mortalitatis, inæstimabili consolatione dilatantur corda, & corpora vestra: & fruimini beatissima luce mea.

## CAP. XIII.

*Hortatur ad gratitudinem.*

**E**X quo formavi hominē, o filij mei, non cessavi die, ac nocte illi benefacere, & dolui super angustijs eius, sicut mater dolere solet super afflicto vni genito filio suo: Nec requievi videns afflictionem eius, donec descendi, vt liberarem eum, in similitudinem hominū factus, & habitu inuētus, vt homo. Factus sū Pontifex corde misericors, tentatus per omnia, pro similitudine  
dine